

1745, 7
19
PERANTIQUÆ UNIVERSITATIS ERFORDIENSIS
R E C T O R

ET
FACULTATIS JURIDICÆ
D E C A N V S,
CONR. WILHELMVS
STRECKER, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELE-
CTORIS MOGUNTINI CONSILIARIVS REGIMI-
NIS, FACULTAT. JURIDICÆ ET JVDICII ELECTO-
RALIS PROVINCIALIS ASSESSOR SENIOR, COD.
PROF. PVBL. ORDINARIVS, CIVITATIS SYN-
DICVS ET CONSVL PRIMARIVS,

AD
AVDIENDAM LECTIONEM
CVRSORIAM

Ad L. fœdissimam 20. C. ad L. Jul. de adult.

ET
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

AD DIEM XII. AVGVSTI M DCC XLIII.

LECTOREM BENEVOLVM
PERHVMANITER INVITAT.

E R F O R D I Æ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,
Acad. Typogr.

STRECKER
CORR. WILHELMVS

EMPHATICALLY
THE
TWO

LECTURAM

DISSECTATIONEM

LECTURAM

AR. R. D. D. I.
VON JOH. CHRISTOPH. HERING



Considerandus est iudex vel secundum Personam, vel officium, quo fungitur; quoad personam sit vir singularis prudentiæ & experienciæ, habeat in consilio legem, fidem, religionem, æquitatem; odium, invidiam atque motuum cupiditates omnes à se amoveat, maximi æstimet conscientiam, ne sine conscientia sit Diabolus in iudicii. Adeoque non minùs decet, quam decorat iudicis personam, ut sit prudens, constans, verax, sobrius, apprimè peritus juris, morum hominum, ac Reipublicæ statutorum, non avarus, non rixosus. Sine prudentia iudicis non subsistit iustitia, quemadmodum enim iustitia malitiæ, & iniquitatis depravatorum morum, & criminum est expultrix, ita prudentiam tanquam voluntatem regulatam vel maturum consilium semper comitem habeat necesse est. Datur genus hominum cæciliâ, viperâ pejus & angue, qui vel odio, vel invidiâ, vindictâ, inimicitâ vel lucri, favoris aut gratiæ conciliandæ causâ, vel temerariis, imo diabolicis suspitionibus inducti modò hunc, modò istam defectum, modò hoc, modò istud delictum proximo nequitosâ mente affingunt, & iudicem, nescio, quo studio mendacio, quo blando sermone, quibus humilibus gestulationibus, quibus adulatoriis persuasionibus ad credendum inducere student; Sed prudentis iudicis est, ad ejusmodi relata sententiam tenere suspensam, examinare suggesta, & suspenditata consilia, ne facillè quavis credulitate ad falsa prolabatur, sola enim illa diuturna, illa robusta, quæ prudentia incipit, & cura custodit. Decet iudicem in omni re gerendâ, consilioque capiendò servare constantiam, stare debet præsentis & constanti animo in eo, quod deliberatum, iudicatumque est, quamvis nolim iudicem ita constantem esse, ut ne in minimis palynodiam cecinisse videatur. Quis enim nescit in puncto sa-

pe temporis maximarum rerum circumstantias & momenta variari? proinde dedecorosum non est, mutare consilium, imò quenquam, cum homines simus, pudere non debet fateri errorem fortè commissum & dehinc ad meliora transire vota. Verax & veritatis studiosus sit iudex, qui, si causarum veritatem omni viâ & ratione perspectam non habeat, properabit in gehennam, quam miserrimam & irrecurribilem viam ne ambulet, studiat, ne præposterè judicet, cum hanc veritatem Deus ipse requirat à iudicibus Exod. 18. v. 21. ibi: *Provide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas & qui oderint avaritiam & constituue ex iis Tribunos &c.* conf. Deut. 17. v. 9. Psal. 110 v. 7. Prov. 20. v. 28. licet veritas nonnunquam aspera sit malevolis & molestiam imò reprehensionem pariat, sed cordatus & conscientiosus iudex, multa audiat, plura taceat, plurima rideat, veritas nihilominus triumphabit de suis operibus & faciet, ut falsitas & mendacium se ipsum accusent. Sobrietatem amet iudex, deliberet, judicet jejuno stomacho, mens ebria ad consultandum, judicandum & ad quasvis res benè gerendas inepta est. Ebrietas mater malitiæ & veritatis hostis reddit fortem timidum, justitiam pariter ac prudentiam suppressit. Peritus sit iudex & juris & statutorum, cum homine imperito nihil sit injustius, ignarus facile negat ea, quæ pro veritate statuta sunt, & ita ignorantia iudicis tanquam mater errorum & injustitiæ, plerumque est calamitas innocentis. Ejusmodi ignorantia fratres sæpe nundinationibus sordidis ad dignitates provehuntur, proinde perniciem consecrati status optimi secum adferunt, atque sic pessimè agitur, dum id quod eruditionis virtute effici deberet, pecuniâ tentetur. Avaritia omnium malorum Seminarium in iudice execranda: quippe hæc excæcat oculos iudicis, cumque sic pervertit, ut Sathanæ magis, quàm minister justitiæ sit dicendus. Non rixosus sit iudex, sed pacificus, humanus & mitis, quem enim contentio & tumor superbientis animi inhabitat, à quo pax & humanitas recessit, quomodo pacem inter subditos constituet? quomodo iudicium feret, cum ipse egeat iudice? quomodo affectus aliorum corriget, qui se ipsum superare nescit rixa cognoscendi? Hæc sunt potissimum ea, quæ circa personam iudicis

dicis consideranda veniunt. Quoad officium, quo fungitur, illud dispescitur à Practicis in nobile & mercenarium, hoc dicunt esse, quod legum formulis & actionibus inservit, id est, quod nihil aliud potest, quam legibus præscribitur statuendum in actione proposita, cujus propriam naturam sequi tenetur judex, ita ut fere nihil dependeat ab ipsius arbitrio. Illud vero nempe nobile, quod ad Imperium magis accedit, nimirum quod nobile sit munus imperare & posse extra formulas actionem, id est, extraordinario modo, vel sine actione à jure proposita, quando æquum videbitur, propter potestatem majorem concessam statuere extra ordinem. Vi hujus officii nobilis judex motu proprio, accusatore non existente, vel quiescente, vel ab accusatione resultante, in delicta inquit, & crimina coeret, ne fontium delicta maneant impunita & ne, dimissis facinorosis, latitia hominum publicæ turbentur. Quomodo autem contra facinorosos, in specie contra adulteros procedatur, & ipsorum nequitia puniatur occasione *L. 20. C. ad L. Jul. de adult.* in lectione cursoria publicè ex cathedra fusus pertractabit

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS

DAVID THEODORVS HAINEMANNVS,

De cujus vitæ curriculo sequentia nobis communicata, nunc referenda. Natus is, divina annuente gratia, in illa, ob musarum sedem antiquam mercatumque maximum celeberrima civitate Saxonica, Lipsia, anno post nativitatem Christi MDCCVII. die XIX mensis Octobris, parentibus honestissimis. Patre Domino CHRISTOPHORO THEODORO HAINEMANNO, Jur. Utr. Doctore & Regio Consistorii ibidem Advocato Ordinario; matre ANNA CATHARINA, Dni DAVIDIS SCHREERI, Notariorum Publ. Cæsar. in urbe Lipsiensi senioris, filia. Præterea inter majores numerat multos & stemmatis nobilitate & doctrina viros conspicuos. Siquidem avus paternus, D. CHRISTOPHORVS HAINEMANNVS, Advocatus apud lleburgenses fuit famigeratissimus, & per parentem genus ducit ex vetusta & nobili gente Lalanorum, ex quibus complures, pristinis temporibus, in antiqua

antiqua civitate Zwicavia sedem fixere, & regimini laudatæ civitatis, cum adhuc libera esset Imperii, ut & postea præfuerit, sicut & unus Prætoris Lipsiensis officio splendido, priori seculo ornatus fuit. Huic familiæ nobilitatem & insignia confirmaverat Imperator Ferdinandus II. cujus diploma apud Lunigium in Archivo Imperii, in appendice continuationis II. fol. 38. ff. no. XIX. legitur; originale vero exemplar ipsius Imperatoris Divi manu subscriptum, cum cæteris documentis asservatur à senioribus familiæ, cujus, & quidem alterius lineæ Vito-Lasanicæ, à conditore suo ita appellatæ, munus, parens Dn. D. CHRISTOPHORVS THEODORVS HAINEMANNVS administrat, qui & stipendiorum, conservationi posteritatis Lasanicæ studiis operam daturæ, consecratorum, cum Dnis Confensoribus collatarum exercet. Ad hæc idem Candidatus aliorum majorum honorat memoriam genere nobilium, ex quibus nobiles de Haugwitz non sunt infimi, & Johannes IX. ille ultimus Misnensis Episcopus, qui Electori Saxonie AVGVSTO Episcopatum tradidit, inter cognatos abs eo refertur. Avia ejusdem quoque, maternæ lineæ, ANNA SCHREERIA, fratrem ex communi matre ANNA, nata Melissa, salutavit Dn. JOHANNEM de ARNOLD, Danorum Regis quondam excubiarum generalem præfectum, cujus filius dignissimus, Dn. JOHANNES JACOBVS de ARNOLD, generalis regie militiæ in Norvegia Dux, & ordinis Danobrogi eques; gloriam à parente nactam, conservat, & ad prolem, ex conjugæ Comitissæ de Wedel in Wedelsburg susceptam, propagat. In pueritia Candidatus duftorem habuit ad pietatem & ad scientiarum initia, avum senem venerabilem, Dn. DAVIDEM SCHREERVM. Postquam vero anni adfuerit, ut bonis literis operam navaret, scholas quidem publicas frequentavit nullas, in domo tamen Domini parentis à præceptoribus diligenter est eruditus, quos inter Dn. J. GEORG. MARTINI, nunc supremæ Curie provincialis apud Lipsienses Procurator, Dn. CHR. FRID. CLAUDERVS, Politicæ Commissarius apud Altenburgenses, Dn. JO. HEHR. ROD. SCHEIBE, Rector Gymnasii Rudolphopolitani, sunt præcipui, quorum fidem & diligentiam, in erudiendo se, grata mente prædicat. Ao. MDCCXVIII. in numerum discipulorum relatus & albo Academiæ patriæ Lipsiensis,

lis, Rectore, Dn. D. JO. CYPRIANO, Theol. Prof. est insertus. Ad altiora vero studia, cum animum applicuisset, Anno MDCCXXI. sub Rectoratu Dni D. JO. SCHMIDT, numero civium Academicorum Lipsiens. est adscriptus. Praeceptorem habuit, in Oratoria, Historia, Logica, graecis ac Hebraicis, Dn. M. THOM. BALTH. RÖLLVUM, postea pastorem Ecclesiae Monjovens. prope Aquisgranum, in Oratoriae studio praeaudatum Dn. SCHMIDIVM, Orationes Ciceronis in publico collegio explicantem; in historia universali & dialecticis Dn. M. LOEDERVM; in Philosophia, Dn. EIC. JENICHIVM & celebrem Polyhistorum D. Professorem D. FRID. MENTZIVM, in privato collegio, cujus quoque praelectionibus in nova literaria olim interfuit, eumque historias philosophicas publicè narrantem audivit. Cumque primò sacro studio sese consecrare, & in hoc, avi materni, Dn. M. DAVIDIS SCHREERT, verbi divini apud Reichenbachenses ministri, vestigia premere, in animo haberet, Theſin Theologiae à Dn. D. KLAUSINGIO traditam accepit; sed suorum consilio, nonnullisque aliis rationibus motus, propositum mutavit, & postea Juris studio operam dedit, in quo ductores & Doctores in Lipsiensi Academia, Jctos excellentissimos est adeptus, scilicet, Dn. D. KORTE, antiquitates Juris publicè illustrantem; Dn. JO. FLOR. RIVINVM & Dn. D. KÜNHOLDVM, Institutiones Juris & Digesta, illum in publico, hunc in privato Collegio explicantem; Dn. D. GEBAYERVM, Institutiones & Jus Feudale & publicè & privatim praelentem; Dn. D. GRIENERVM, illustrem, dum viveret Collegii Juridici praesidem, audivit, & inter privatos parietes, Juris Naturae, Institutionum, Pandectarum, Juris Feudalis, Juris Ecclesiastici, Juris Publici & Processus Judiciarii praecipua ex illius ore hausit; Dn. D. GÄRTNERO in Nemesin Carolinam in publico coetu commentanti aures praebuit. Sic theoreticis praecipis imbutus, in praxi Juris Patentem, Dn. D. CHRISTO. THEOD. HAINEMANNVM optimum nactus est informatorem, quippe qui in forum eum deduxit, & sicut a teneris annis filium ad practica exercitia adulescerat, ita, quae in theoria apprehenderat, in succum & sanguinem vertere, usuique accommodare eum docuit. Idcirco, sub ejusdem moderamine multos & libellos, &
alia,

alia, quæ in forensibus negotiis obveniunt scripta elaboravit, ex quo multum utilitatis hauisse proficetur. Tandem ad supremam Doctoratûs Lauream aspirans in nostram perantiquam Geranam sese contulit & ab Ordine nostro ad consueta specimina edenda admitti decenter petiit, cujus æquissimi petiti eum compotem reddere nulli dubitavimus; Hinc textus ex utroque jure communicatos docte resolvit, & ad quæstiones propositas ita respondit, ut unanimes consensu supremis jurium honoribus dignus judicatus fuerit. Proinde lectionem cursoriam ad *all. l. 20. C. ad l. Jul. de adult.* & hac finita dissertationem inauguralem

DE
TESTAMENTO PRIVATO
SOLEMNI,

PRÆSERTIM
SCRIPTO, SIVE CLAVSO,

crastina die Lunæ instituet. Ad quos actus, ut solenniores reddantur, Domini Proceres & Cives Academici officiosè invitantur. Publicatum sub Sigillo Facult. Jurid. d. XI. Augusti. M DCC XLIII.




ERfurt, Diss., 1742/44

ULB Halle 3
005 355 400



W078







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1740, 17

PERANTIQUÆ VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS
R E C T O R

ET
FACVLTATIS IVRIDICÆ
D E C A N V S,
CONR. WILHELMVS
STRECKER, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELE-
CTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMI-
NIS, FACVLTAT. IVRIDICÆ ET IVDICII ELECTO-
RALIS PROVINCIALIS ASSESSOR SENIOR, COD.
PROF. PVBL. ORDINARIVS, CIVITATIS SYN-
DICVS ET CONSVL PRIMARIVS,

AD
AVDIENDAM LECTIONEM
CVRSORIAM

Ad L. fœdissimam 20. C. ad L. Jul. de adult.

ET
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
AD DIEM XII. AVGVSTI M DCC XLIII.
LECTOREM BENEVOLVM
PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,
Acad. Typogr.